

exomologesin apud pœnitentiarium deponit, & vitæ innovationem pollicetur: interim furculos impietatis ac scelerum, contumaciæ contra leges, & rebellionis contra præceptores strenuè producit: cænæ Dominicæ communionem animam communit, non ut ejus vires convalescant, sed majus augmentum & robur ad scelera perpetranda inde acquirant, & ad ultimæ licentiæ exemplar nihil reliquum faciant. O tempora! ô mores! Hæc scilicet est pietas plebeiorum adolescentum, quorum fortuna à Regis nostri dignitate tantum distat, quantum summum cælum ab ima terra!

Haëtenus Auditores Regem nostrum consideravimus privatim inter studia hærentem, & in amænissimis Musarum hortis flores pulcherrimos & ipsa fragrantia salutem pollicentes, cum voluptate decerpentem: nunc illum contemplemur, postquam è vinculis disciplinæ non pœnitendæ in liberrimum rectæ regisq; vitæ campum prodiit. Hic vero mihi tam amplissimus dicendi campus aperitur, ut non tam de copia, quam dicendi sine sollicitus esse cogar.

Postquam adoleverat nonnihil *GUSTAVUS* Serenissimi Dn. Parentis Herois maximi (qui semper bellorum Moscovitici, Polonici, Danici mole occupatus erat) castra secutus est, & Tiro ante annos animumque gerens curamq; virilem, haud raro laudabile futuri sui fortissimi animi specimen edidit, & omnes paternæ  
exspe-